


1
2
3


1
2
3


1
2
3
4
5
6

QUÆSTIONES ANNO 1870

COLLATIONIBUS THEOLOGICIS DISCUTIENDÆ

in Archidioecesi Quebecensi

MENSE JANUARIO.

Paulus, vicarius, prædicans circa concilium, fusiori sermone de infallibilitate Ecclesiæ concionem habet. Docet inter cætera 1° infallibilitatem soli competere concilio, minime autem Romano Pontifici ; 2° eamdem infallibilitatem concilio competere etiam in eis quæ scientias sive naturales sive intellectuales spectant. Petrus, parochus, animadversiones inter prandium injicit quæ vicario ambigendi materiam afferunt. Unde Titio, theologo, anxius mandat litteras quærens :

1°. *Quid sit subjectum infallibilitatis ?*

2°. *Quid sit objectum infallibilitatis Ecclesiæ ?*

Simpronius, parochus, prædicat esse peccatum grave per hebdomadam omittere orationes quotidianas. Quæritur utrum recta sit hæc doctrina ?

MENSE MAIO.

Joannes, confessarius, in danda vel deneganda absolutione unicam habet regulam, pœnitentem scilicet loqui *pro se et contra se*, et si dicat se de peccatis dolere, et propositum habere non amplius peccandi, posse semper absolvi.

Marcus vero denegat absolutionem omnibus recidivis et consuetudinariis, donec perfecte emendentur ; imo ad repetendas confessiones præteritas eos adigit, utpote firmo proposito destitutas, ac proinde sacrilegas. Quæritur :

1° *Quænam sint dispositiones requisitæ ut pœnitens possit absolvi ?*

2° *Utrum ad recidivos absolvendos requirantur absolute signa extraordinaria doloris ?*

3° *Quid de modo agendi Joannis et Marci ?*

An mulier quinquagenaria excusetur a jejunio ?

MENSE JULIO.

Titius, parochus, nunquam concionem habet de frequenti communione, et non permittit communionem conjugibus, nisi semel in mense, aliis etiam devotioribus vix bis aut ter in mense, aut ad summum diebus dominicis, modo nunquam labantur nec in mortale peccatum, nec in veniale deliberatum, et meditationi quotidianæ per semi horam saltem vacent. Quæritur :

1° *Quid sit communio frequens proprie dicta ?*

2° *Quænam sint dispositiones requisitæ ut aliquis possit frequenter communicare ?*

3° *Quid de modo agendi Titii ?*

Simpronius, parochus, hujus archidiœcesis, matrimonium celebrat tempore prohibito, absque solemnitate, sed non petita licentia episcopi. Quæritur :

1° *Utrum recte egerit ?*

2° *Quomodo tunc celebratio fieri debeat ?*

MENSE OCTOBRI.

Jacobus, acerrimus defensor doctrinæ Puseyistarum, iter suscipiens, casu cuidam parocho occurrit. Oritur sermo de Eucharistiâ : Jacobus præsentiam realem Jesu-Christi in Eucharistia admittit, sed contendit substantiam panis et vini non desinere per consecrationem. Affirmat, 1° doctrinam transubstantiationis neque ex Scriptura, neque ex Patribus probari posse, sed esse innovationem catholicorum sæculi XV ; 2° locutionibus Patrum, v. gr. " panis transmutatur in corpus Christi " vel " panis fit corpus Christi et vinum fit sanguis Christi ", et aliis hujusmodi, quibus utuntur Catholici ut probent conversionem

panis et vini non esse mere accidentalem sed substantialem, opponi posse locutiones parallelas v. gr. " in resurrectione transmutabimur in substantiam spiritualem, in quid divinius, in angelicam naturam " vel " Verbum caro factum est, " quæ conversionem mere accidentalem indicant. Quæritur :

1° *Quid parochus dicere debuerit de ipsa natura transubstantiationis ?*

2° *Quomodo ipsam transubstantiationem ex Scriptura et Patribus probaverit ?*

3° *Quomodo difficultatem ex locutionibus parallelis a Jocobo propositam solvere potuerit ?*

Albertus, parochus, prædicat esse peccatum non interesse vesperis, quando facile fieri potest. Quæritur :

Quid dicendum sit de hac doctrina ?